



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLIX. Lis publicani de unionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

ut sepulscandum praberet: deceptum certe ab eo etiam tempore ipso juvenem, incidisse in eum, quem minime provocatum injuria vellet. At illum confestim tanquam de alieno non de liberaſſe ſanguine: & quia redditurus eſet expoſitum, debilitaſſe. Certe eum lege patris uſum, qui ſciret nec ſe patrem, nec hunc filium. Adoleſcentem autem, quia nondum perſpectum illo tempore patrem habuerit, certe quia probare non potuerit, tacuiſſe: nunc petere talionem.

CCCLIX.

Lis publicani de unionibus.

PRÆTER INSTRUMENTA ITINERIS, OMNES RES QUADRAGESIMAM PUBLICANO DEBEANT. PUBLICANO SCRUTARI LICEAT. QUOD QUIS PROFESSUS NON FUERIT, PERDAT. MATRONAM NE LICEAT ATTINGERE. Matrona iter faciens, cum ad publicanos veniſſet uniones habens cccc. in ſinum abdidit: hos cum requireret publicanus, matrona ſcrutandi poteſtatem fecit, publicanus noluit ſcrutari. Tranſlatis manum iniecit, & ſuos dicit.

S E R M O.

Quæſtiones ſunt, an instrumenta itineris videri uniones poſſint? an etiam ſi non poſſint videri, tamen quoniam ad uſum, & ornamentum matronæ parati ſint, in commiſſum venire potuerint? an in uſum parati ſint? an ſi in uſum parati ſint, non oſtenſi teneri poſſint, cum oſtenſi nihil debuerint? an quamvis ſcrutari matronam non liceat, & ipſa permittente & publicano licuerit, perinde ſit ſcrutationem permiſſiſſe, ac rem oſtendiſſe? an dimiſſa res peti poſſit? an hæc dimiſſa ſit? Dicit enim publicanus non rem, ſed controverſiam dimiſſam.

CCCLX.

Lis de dotibus, ſocrus & nurus.

PRIMA RATIO DOTIS HABEATUR. Quædam apud filium amiſſo viro, dotem reliquit. Adoleſcens, ducta uxore dotata, deceſſit. Res ſolvendo non eſt. Contendunt ſocrus & nurus, utra primum dotem accipiat.

S E R M O.

Mulierem illam ſocrum nurus dicet hanc ruinam patrimonii poſt mortem viri ſtatim ſenſiſſe: non ſumpſiſſe dotem, ne & filium decoloraret,